



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Quænam est materia proxima?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

## CAPUT III.

*De Materia & forma Sacramenti  
Pœnitentiæ.*

Quest. I. **Q**UOTUPLEX est materia  
Sacramenti Pœnitentiæ ?

S. Tho. 3. p. Resp. *Dicendum*, inquit Divus Thomas,  
q. 84. art. 2. *quòd duplex est materia Sacramenti Pœniten-*  
in corp. *tiæ ; proxima & remota.*

Quest. 2. *Quænam est materia proxima Sa-*  
cramenti Pœnitentiæ ?

Sess. 14. De Trid. Resp. Actus pœnitentis, ut innuit Concilium  
Pœnit. cap. Tridentinum his verbis : *Sunt autem quasi*  
81 *materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis*  
*actus, nempe contritio, confessio, & satis-*  
*factio, qui quatenus in Pœnitente ad inte-*  
*gritatem Sacramenti, ad plenamque & per-*  
*fectam peccatorum remissionem ex Dei institu-*  
*tione requiruntur, hac ratione partes di-*  
*cuntur.*

Ratio autem cur Concilium dixit, hos actus  
esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ,  
non ita intelligenda est, quasi velit eos non esse  
veram materiam, sed voluit dumtaxat indi-  
care discrimen, quod inter hujus, & aliorum  
Sacramentorum materiam intercedit, in hoc  
consistens, quod aliorum Sacramentorum ma-  
teria est res aliqua materialis & sensibilis, cu-  
jusmodi est aqua in Baptismo ; Sacramenti  
verò pœnitentiæ materia sunt actus pœnitentis,  
quorum præcipuus, ipsa scilicet contritio, est  
insibilis, cum actus sit internus ; & sic non  
ita propriè appellantur hujus Sacramenti ma-  
teria.

*Sacramenti verò Pœnitentiæ ; ait Catechis-*

*De Sacramento Pœnit. Cap. III. 11*

mus Concilii Tridentini, quasi materia sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Neque verò hi actus, quasi materia à sancta Synodo appellantur, quia vera materia rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibetur: ut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione.

Catech. Concil. Trid. .  
P. De Pœnitent. Sacramento. nu. 17.

Quare cum aliqui Theologi Catholici negassent, hos actus esse propriè materiam hujus Sacramenti, Concilium ne eos damnaret, maluit dicere, quasi materiam, ut notat Eminentissimus Cardinalis, qui historiam Concilii descripsit, cap. 3. sess. 14.

Quo fit, hoc esse discrimen inter hoc Sacramentum, & alia, quod in Sacramentis quæ constant materiâ sensibili, Minister non potest applicare formam, nisi materia sit realiter & physicè præsens, v. g. in Sacramento Baptismi, nisi realiter habeat aquam: sed in Sacramento Pœnitentiæ sufficit habere certitudinem moralem de præsentia materiæ ad applicandam formam: quæ quidem certitudo in eo consistit, quòd prudens Confessarius judicare debeat, pœnitentem esse verè contritum, & vero dolore peccatorum suorum compunctum, cum firmo proposito non amplius peccandi, & affectum peccati ex animo penitus extirpandi.

Hoc etiam ostendit cœcitatem illorum Confessorum qui eos passim absolvunt qui pluries promiserunt se vitam, & mores correcturos, absque ulla, aut certè perexigua emendatione; & tamen in negotiis hujus sæculi, imprudens utique haberetur, qui fidem illi haberet, à quo sæpè deceptus fuit, nisi prius aliquo argumento & experientia notabili sibi constaret, de ejus fide in futurum.